



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Iuvenalis errorem recte à Criticis notatum contra Iohannem Braunium  
ostenditur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

290 De CALCEIS HEBRÆOR.

ab iisdem celebrari viderent, ignari morum ejus gentis, id sibi temere persuaserunt. Atque uti ex crebris Iudæorum jejuniis putarunt Romani etiam Sabbata jejunio celebrari, ita Iuvenalis, qui sciebat Iudæos diebus jejunii nudis pedibus incedere, id etiam de Sabbatho sibi persuasit: unde cum historiam de Bernice referret, quæ nudis pedibus coram tribunali Florum deprecata est, cecinat,

*Observant ubi festa mero pede Sabbathum reges.*

Braun. de  
Vest. Sac.  
Hebr. l. I.  
cap. 3.

Hæc cum sint certissima, nescio cur vir Doctissimus Iohannes Braunius Iuvenalem defendere, ac si à Criticis sine causa inscitiae accusatus esset, voluerit, & Sabbathum apud Iuvenalem de jejuniis explicarit: Postquam monuissest Iudæos in die expiationum, itemque *tischa be Af* nudis pedibus incedere, & ad hæc sibi videri Iuvenalem respexisse: Ergo nudo pede, inquit, observant Sabbathum, id est, jejunia. Præsertim diem expiationum, qui vocatur *שְׁבָתָה* *שְׁבָתָה* quasi dices, Sabbathum quietis. Levit. cap.

cap. xvij. Quod velim Criticos obser-  
vasse, ne Juvenalem imposterum in-  
scitiæ accusarent, quasi per Sabbathum  
intellexisset, diem illum, qui singulis  
hebdomadibus recurrat, id est, diem  
Saturni, quo die sane non jejuna-  
bant, nec etiam nude pede incedebant.  
Sane Iuvenalem Sabbathum dixisse je-  
junia non credo Braunium facile  
probaturum. Vocant quidem Iu-  
dæi diem expiationum שְׁבָתָה sed tam doctum fuisse Iuvenalem  
qua ratione adstruet? Cum Augu-  
stum, Strabonem, Iustinum, in  
illo errore fuisse, Iudæos Sabba-  
tum, id est, septimum diem obser-  
vasse, ut diem jejunii, ipse vir  
doctus non ignoret, nescio cur sibi  
persuaserit aliter putasse Iuvena-  
lem, quam Iudæos Sabbathum, id est  
septimum diem, qui singulis heb-  
domadibus recurrat, nudo pede  
observare. Nam uti alii erra-  
runt, qui Iudæos Sabbatis jeju-  
nia servare existimarunt, ita Lu-  
venalis erravit, qui festa Sabba-  
ta mero pede observare Reges  
dixit, quod optime Critici monue-  
runt.